Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

eleazari sacerdotis et iosue filii nun et principum dicentes: Dominus precepit per manum moysi ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis iuxta imperium domini possessionem in medio fratrum patris eorum. Et ceciderunt funiculi manasse x absque terra galaad et basan trans iordanem. Filie manasse possederunt hereditatem in medio fratrum patris eorum. Terra autem galaad cecidit in sortem filiorum manasse qui reliqui erant. Fuitque terminus manasse ab aser machmathat que respicit sychem et egreditur ad dexteram iuxta habitatores fontis taffue. Etenim in sortem manasse ceciderat terra taffue que est iuxta terminos manasse et filiorum et filiorum ephraym. Descenditque terminus vallis arundineti in medio torrentis civitatum ephraym que in medio sunt urbium manasse. Terminus manasse ab aquilone torrentis et exitus eius pergit ad mare ita ut ab austro sit possessio ephraym et ab aquilone manasse et utramque claudit mare et iunguntur sibi in tribu aser ab aquilone et in tribu ysachar ab oriente. Fuitque hereditas manasse in ysachar et in aser bethsan et viculi eius et ieblaam cum villis suis et habitatores dor cum oppidis suis habitatores quoque endor cum viculis suis similiterque habitatores thenach cum viculis suis et habitatores mageddo cum viculis suis et tertia pars topheth. Nec potuerunt filii manasse has subvertere civitates sed cepit habitare chananeus in terra sua. Postquam autem convaluerunt filii israel subiecerunt chananeos et fecerunt sibi tributarios nec interfecerunt eos. Locutique sunt filii ioseph ad iosue atque dixerunt: Quare mihi dedisti terram in possessionem sortis et funiculi unius cum sim tante multitudinis et benedixerit mihi dominus? Ad quos iosue ait: Si populus multus es ascende in silvam et succide tibi spatia in terra pherezei et raphaim quia angusta est tibi possessio montis ephraim. Cui responderunt filii ioseph: Non poterimus ad montana conscendere cum ferreis curribus utantur chananei qui habitant in terra campestri in qua site sunt bethsan cum viculis suis et iezrahel mediam possidens vallem. Dixitque iosue ad domum ioseph ephraim et manasse: Populus multus es et magne fortitudinis non habebis sortem unam sed transibis ad montem et succides tibi atque purgabis ad habitandum spatia et poteris ultra procedere cum subverteris chananeum quem dicis ferreos habere currus et esse fortissimum.

ad domum ioseph

XVIII.

Congregatique sunt omnes filii israel in sylo ibique fixerunt tabernaculum testimonii et fuit eis subiecta terra. Remanserant autem filiorum israel vii tribus que necdum acceperant possessiones suas. Ad quos iosue ait: Usquequo marcetis ignavia et non intratis ad possidendam terram quam dominus deus patrum vestrorum dedit vobis? Eligite de singulis tribubus ternos viros ut mittam eos et pergant atque circumeant terram et describant eam iuxta numerum uniuscuiusque multitudinis referantque ad me quod descripserint. Dividite vobis terram in vii partes. Iuda sit in terminis suis ab australi plaga et domus ioseph ab aquilone. Mediam inter hos terram in vii partes describite et huc venietis ad me ut coram domino deo vestro mittam vobis hic sortem quia non est inter vos pars levitarum sed sacerdotium domini eorum est hereditas. Gad autem et ruben et dimidia tribus manasse iam acceperant possessiones suas trans iordanem ad orientalem plagam quas dedit eis moyses famulus domini. Cumque surrexissent viri ut pergerent ad describendam terram